

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Beiträge zur Geschichte und Litteratur

Molter, Friedrich

Frankfurt am Main, 1798

Beylage A.

[urn:nbn:de:bsz:31-229434](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-229434)

Beylage A.

GEBEHARDO, Arcis Sion Speculatori vigilantissimo, nec non animali ante et retro oculato, Manegoldus, ille vermis & non homo, quidquid supplex gemensque peccatoris devotio — Cum in dies, pater venerande, adversariorum rabiem et insaniam attenuari, et Catholicae pacis unitatem reparari, crebris aestuamus suspiriis: de effectu optati desiderii eheu non modo non gaudemus, sed eandem truculentio-rem cottidie furore exaggerari gemimus, et omni cordis dolore et amaritudine exhorremus. Nam quod hactenus privatis conventiculis susurrare, et quasi furtivis assertionibus ipsius sceleris immunitate stupidi et attoniti inter mulierculas vix praedicare praesumpserunt, nunc scriptis defenditare & corroborare nec erubescunt nec formidant. Episcopus enim Viridunensis, immo ex persona & rogatu ipsius, Winricus, scholasticus Trevirensis, nuper contra Sedem Apostolicam, contra Ecclesiasticam disciplinam, contra Religionem Catholicam, compilavit libellum, cui denique nonnulla scripturarum testimonia indidit, aliqua etiam inventa male intelligendo depravavit, quae vero non inventa falsa denuntiatione fronte carens & omni impudentia pro-

stitutus confinxit, et spurcissimis Præfulem Apostolicum convitiis deturpavit, cæterosque Catholicæ Religionis duces & præceptores ad levitatis suæ testimonium tum obliqua notando, tum publica blasphemando acerrima reprehensione derisit. Qui denique libellus, quia ab illis pro authentico et iamiam canonizato undique circumfertur, immo pene per omnes plateas et andronarum recessus ad Ecclesiæ ludibrium propalatur, cum in manus nostras devenisset: nunc ab eisdem destructi nostri monasterioli quondam præpositus, Hermannus, meæ fatuitati id obedientiæ iniunxit, ut eisdem literis obviare susciperem, et canonico rigore enervare curarem. His igitur victus dum obedientiæ necessitudinem excusare non potui, præcepto succubui, stultusque ego non stulte obedivi, feci quod potui, dixi quod sensi.

Beylage B.

Cap. 38.

Unde idem (Augustinus) in sermone LXXXV. boni, inquit, cum persecutionem faciunt malis, possunt recte dici et propter iustitiam facere, quoniam diligendo persequuntur malos et propter iniquitatem quam oderunt in ipsis malis. Ex hac enim consideratione con-